

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Reuerendo uiro, D.Georgio Buchholtzer, amico suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

libellos didicerit: sed & ingenio ualeat, & eruditione instructus sit, ut & in explicandis materijs sumat orationē ex ueris fontibus, & singularis sit in ipsius scriptis in uersu & oratione soluta splendor et suauitas. Hæc bona sunt ornata integritate uita, iusticia, modestia, & omnibus uirtutibus, quas uox diuina flagitat. Nihil est amabilius uirtute, coniuncta cum doctrina & facultate dicendi & scribendi. Quare ubi hunc Christophorum uel coram uel ex scriptis nosse cœperis, tuo iudicio diliges. Hæc autem scripsi eò, quòd cum commendare talem uirum, cum à me amari intelligeres, & sic quoq; erga eum beneuolentia augetur. Bene & feliciter uale. Calend. Iunij, Anno 1555.

C. T. addictus

Philippus Melancthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzer, amico suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Non dubito unam & eandem esse Dei Ecclesiam in uestra & nostra urbe. Ideo ordinationem tribuimus Andreæ petenti, non grauatim. Sed tamen hortatus fuerā, ut istic peteret ordinationē, propter multas causas. Verum ipse sperauit nihil fore periculi. Vos autem oro, ut eum tueamini. Erudite et piè respon-

dit

dit de omnibus articulis doctrinae Christianae: hoc
 uere affirmare possum. De Repub. multa scribere
 possem: sed tantum hoc narrabo. Ad Rhenum pa-
 stor Ecclesiae cuiusdam sibi mortem cōsciuit, dolo-
 re recepti libri Augustani. Breui scribam plura, &
 mittam filij carnē, quod curabo edi excusum pra-
 lis, & ornatum. Bene ualete. Die 3 Octobris. Mit-
 to breuem orationem de tribus farinae satis.

Clarissimo utro domino Cancellario salutem opto.
 Hodie ex Anglia literas accepi, ubi doctrina Euan-
 gelij purē traditur, & erunt iam conuentus de con-
 stituendis Ecclesijs. 1548.

Philippus Melancthon.

Venerādo domino, Blasio Odesholmio,
 pastori Ecclesiae Dei in Bucu, a-
 mico suo,

S. D. Venerande uir. Magna pietas, & grata
 Deo est, iuuare bona ingenia, quae literis excolum-
 tur, ut aliquādo seruiant Ecclesiae. Et commendat
 Paulus praecipue singulis domesticos, id est filios et
 cognatos. Est autem in Noha Buchholzero ualde
 bonum ingenium, & dignum quod liberalitate a-
 licuius patroni iuuaretur, ut optime inchoatis stu-
 dijs diutius exerceri posset. Et mores sunt honesti.
 Extant eius scripta multa, quae grauitate sententia-
 rum ostendunt, in eo considerationē & pietatem
 esse.